



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Confirmatio omnium bonorum & priuilegiorum per Martinum Papam V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

nostram protectionem recepimus & defensionem, ut quicumque eandem Ecclesiam in bonis suis grauare praesumpserit, nobis factum esse reputamus. Vestra ergo mandamus vniuersitati firmiter iniungentes, ut si quis hominum antedictum coenobium in redditibus suis grauet, vel molestare praesumat, loco nostri defendatis. Decimam vero quam ipsis contulimus, officialibus nostris praecipimus, ut eis primo de bonis nostris soluant, quicumque officialium nostrorum hoc neglexerit, nostram sentiet offensam & indignationem. Tibi vero iudici sub obtentu nostrae beneuolentiae praecipimus, ut si apud te pro aliquo debito ipsis soluendo aliquam deposuerint quaerimoniam, ipsi debitum exhibeas iustitiam & satisfactionem plenariam. Quod si non feceris, de nostra bona est voluntate & licentia, ut per diuina ipsos compellant ad soluendum.

Confirmatio omnium bonorum & priuilegiorum per

Martinum Papam V.

**M**artinus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Praeposito & Conuentui Monasterij S. Zenonis extra muros oppidi *Reichenhalle*, per Praepositum soliti gubernari, ordinis S. Augustini *Salisburgensis* Diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est & honestum tam vigor & iustitiae, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestri iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, siue alias indulgentias, vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio praedicto, sicut eas iuste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis & communicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum *Romae* apud sanctos Apostolos, Vides Octobris, Pontificatus nostri anno vndecimo.

Confirmatio sanctissimi Domini nostri Alexandri Papae  
priuilegiorum Monasterij.

**A**lexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Praeposito & Conuentui Monasterij S. Zenonis prope oppidum *Reichenhall* per Praepositum soliti gubernari, ordinis S. Augustini *Salisburgensis* Diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor & iustitiae quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestri iustis postulationibus, grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis praesente Domino poteritis adipisci, sub B. Petri protectione suscipimus, atque nostra, omnes quoque libertates & immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia vel alia indulta vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem

decimas